

DE
RATIONE INTERPRETANDI
PRIVILEGIA NVNDINARVM
SOLLEMNIVM
DISPVATIO

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
PRAESIDE
GEORG. STEPH. WIESANDIO

PHILOSOPH. ET IVRISPRVD. DOCTOR. SVPREM.
CVR. LIPS. ADVOCAT. SOCIETAT. LITTER.
DVISBVRG. ET IENENS. LATIN. SODAL.

DIE XXIII. MAII A. S. R. CIOCCCLXIII.

H. L. Q. S.

A DISSENSIONIBVS VINDICABIT

AVCTOR

GOTTFR. LEBRECHT. SERNAV

BRENA - SAXO.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

INSTITUTIONE
MUSEI HISTORICO-NATURALIS
MUSEI
DISPUTATIO

DE
HISTORIA
MUSEI
PRAEFATIO
DE
MUSEI
HISTORIA
MUSEI
DISPUTATIO

DE
MUSEI
HISTORIA
MUSEI
DISPUTATIO





PRAEFATIO.



Quaerenti mihi argumentum aliquod disceptationi legitimae habendae idoneum, mox se obtulit eorum priuilegiorum copia, quae ipsa salus publica ad commercia feliciter adaugenda, necessitatesque vitae humanae subleuandas reperisse videtur. Haec me paullo diligentius cogitantem in nundinas deduxere publicas, ex quibus infinita in vniuersam rempublicam redundant commoda. In his enim consociantur inter se variae gentes, mutisque officiis arctius copulantur. In his res, quibus abundamus, aliis impertimus, contra ab his ea, quae nobis defunt, accipimus. Materiae assiduis opificum laboribus praeparatae, ad vsum omnium in iisdem commode exponuntur. Recipiuntur hospites vndique aduolantes liberali hospitio, ciuibus aliisque incolis admodum fructuoso. Ipsae artes tractantur studiosius, mores vero rudiores elegantius poliuntur. Ex hisce rationibus tot priuilegia exorta sunt, quorum veram rationem explorare in praesenti constituimus, ita quidem, vt, quae et Romani concesserint, et Germani adhuc



huc sequantur, monstremus. Versabimur vero potissimum in eò, vt primùm causas, ex quibus ea nata sunt, explicemus; deinde eorum varietatem ostendamus, simulque regulas ponamus, ad quas dirigi debet eorum interpretatio, collatis vbiuis inter se Romanorum Germanorumque moribus. Ita enim facile apparebit, quatenam vis iisdem inest, quibus vero terminis sint iuste finienda. Rogamus vero humanos lectores, vt beneuole ea, quae proposituri sumus, accipiant, sibiue persuadeant, nos in eo potissimum elaborasse, vt aliqua utilitas ex huius libelli perlectione ad eos redundaret. Quod si consequemur, laborem nostrum non plane frustra fuisse susceptum, maxime laetabimur.

De Nundinis quaedam in genere.

Ad finem huncce igitur consequendum, necesse erit, vt quid sub nundinis intelligamus, recte definiamus. Definitio enim vti semper est necessaria, ita et hic erit praemitenda. Sic autem eas describimus, quod sint conuentus publica auctoritate certis temporibus habendi, mercium emendarum vendendarumque gratia. Nomen iis ab eo est inditum, quod nono semper die apud Romanos celebrari solebant, vti ex antiquis auctoribus certe cognoscitur. Ita enim scribit Macrobius L. I. c. 16. *Saturnal: nundinae sunt paganorum i. e. rusticorum, quibus conueniunt negotiis propriis, vel mercibus prouisuri. Festus vero sub voce nundin. haec tradit: nundinas feriarum diem esse voluerunt antiqui, vt rustici conuenirent mercandi vendendique causa, eumque nefastum, ne si liceret cum populo agi, interpellarentur nundinatores.* Ea de causa Romani tempora nundinis discernere, eamque distinctionem in variis negotiis rite expediendis adhibere solebant. Comitia per trinundinum indicta fuisse, testatur *Liuius L. 3. c. 35.* In iure vero decemuirali scriptum est,

vt



vt creditor vinctum debitorem tribus nundinis ad praetorem in forum producat, et quanti aestimatus esset, publice enunciet. Adeas *leges XII. tabularum* a *Io. Nicol. Funccio* illustratas p. 186. *seqq.* Commendamus hic antiquitatis studiosis multa cum voluptate elegantissimum *Erycii Puteani de nundinis Romanis libellum c. II.* qui in *Graeuii thesaur. antiquitat. Roman.* T. 8. p. 650. *seqq.* extat. Facile vero apparbit, nos hac definitione quaecunque mercatum et nundinarum genera complecti. Quae vt eo melius discernantur, paucis verbis eorum discrimina declarare debemus. Distinguantur enim nundinae in generales seu vniuersales, quas vnus provinciae esse dicunt, et particulares seu speciales, quae vni vrbi vel vico concessae sunt. Illae hominum rerumque copia splendidiores, hae vero antiquitate praestantiores sunt. In Germania, vbi Imperatori ius nundinas maiores concedendi referuatum est, in sollemnes et minus sollemnes dispefcuntur. Et nos quidem sollemnium verbo eas intelligimus, quae ab Imperatore ob vtilitatem commerciorum legitime sunt constitutae. Minus sollemnes vero, quae etiam minores vocantur, sunt mercatus a principe vel magistratu inferiore maxime ob annonae copiam ciuitati concessi. Hos iterum in anniuersarios et hebdomadales diuidi, et tirones sciunt. Nos vero in praesenti, omiſſis ceteris, quae tantis priuilegijs non vtuntur, de nundinis sollemnibus, quarum in fauorem multa, eademque plane eximia iura sunt introducta, latius exponere in hac nostra disceptatione constituimus.

Nundinarum sollemnium fauor.

Quum commercium magnum et infinitum reipublicae emolumentum afferat, nundinae vero ad illud augendum et stabiliendum non parum faciant, principes, quibus ciuium salus curae cordique esse solet, fauorem nundinis sol-





lemnibus insignem plane concesserunt, concessum autem omni modo conseruarunt. Hinc non mirandum, quod Romani de incremento reipublicae et acquirendis diuitiis valde solliciti, magnas et varias nundinarum caussa venientibus immunitates impertierunt. Quanti vero commercia fecerint, vel ex eo patet, quod Mercurium negotiatorem diuino cultu honorauerint, collegiumque mercatorum, quod mercuriale dicebatur, instituerint. *Liuius L. 3. c. 27.* Germani quoque, quibus *Tacitus* incertum esse putat, vtrum propitii an irati Dii auri argenticque vsu denegauerint, secutis temporibus aliud vitae genus, pristina morum asperitate et seueritate deposita eligentes, multa commercii caussa proficiscentibus priuilegia concesserunt, quod postea explicabitur diligentius. Quorum priuilegiorum occasio vti per se est gratissima, ita boni principes commodum mercaturae bene ponderantes, subsequens temporibus ea recipere, emendare, multumque adaugere non dubitarunt. Vt vero eo melius perspiciatur, quantus nundinarum fauor sit, pauca quaedam de hoc fauore nobis admonenda erunt. Ille vero cum ex multis rebus, tum ex eo potissimum apparet, quod omnibus ad eandem venire liceat, nullo discrimine inter peregrinos et indigenas facto. Nulla hic nec religionis aut dignitatis, nec ordinis aut status ratio habetur. Omnes siue nostra, siue aliena sacra colunt, siue dignitate et auctoritate praestant, siue minus, aequabili honore condecorantur; omnes iisdem iuribus et priuilegiis vtuntur, modo facultatem his iuribus fruendi delictis perpetratis non amiserint. Ex eo quoque, quod omnis generis merces, quibus alii indigent, ad nundinas afferre liceat, nundinarum fauor satis luculenter apparet. Hoc enim modo concursus ementium vendentiumque maior et copiosior efficitur, cum bene sciunt, omnium mercium laetam valde copiam ibi profutare, liberum vero omnibus esse emendi
ven-



vendendique arbitrium. Principes igitur, qui hancce libertatem restringere, et commercio nimis arctos fines ponere cupiunt, neque prudentem, neque mercaturae incremento satis idoneam viam eligunt. Dum enim exterarum mercium inuectionem et venditionem prohibent, mercium, quibus incolae abundant, exportationem simul impediunt. Alia denique et a prioribus plane diuersa causa est, quae multum ad commercii florem facit, securitas nempe euntibus et redeuntibus praestanda. Hac enim effici potest, vt, qui ob periculum corpori et opibus imminens adire dubitent, magna copia aduolent, nundinarumque frequentiam augeant. Haec securitas vero non solum ad personas, sed et ad merces quouis modo allatas extendenda erit. Mercatores enim, vti lucri faciendi causa potissimum itineris molestias et pericula aequo animo subeunt, ita mercium securitatem speique certae commoda praeter ceteris exoptant. Id quod turbidis illis Germaniae temporibus, quibus omne ius in viribus ponebatur, iam bene perspectum fuit, vbi omnibus, in primis vero mercandi causa iter facientibus, itineris tutius faciendi securitas concedi solebat sollempniter. *Io. Philipp. Dart de pac. public. L. I. c. 16. p. 125. seqq.* Illi vero, penes quos rerum summa est, non publicas tantum vias, sed in primis loca nundinis habendis destinata, tuta et a facinorosorum iniuriis secura reddant. Quapropter legibus ad hunc finem sapienter promulgatis cauendum eis erit, ne quis vi aut clam, verbis aut factis quietem publicam turbet, mercatorumque confociationibus damnum inferat. Haec de securitate negotiantibus praestanda. Iam necesse erit, vt pauca de libertate negotiandi addamus. Non sufficit, merces omnis generis in nundinis proficere, nisi mercatoribus quoque liceat omnes contractus celebrare, ac mutuuum emendi vendendique negotium exercere.



cere. Quam ob rem cuius licebit tam suo, quam alieno nomine contrahere, consensum tam verbis, quam litteris declarare, pecuniam et numerare et accipere vtiliter, non modo scribere chirographa et apochas, verum etiam ex feueritate et forma iuris cambialis debita obligare firmius. Quae enim in genere mercatoribus commode tribui solent iura, haec in nundinis maxime occurrunt, suamque efficaciam certissime demonstrant.

Regulae in priuilegiis nundinarum interpretandis obseruandae.

Ad priuilegia vero nundinis sollempnibus concessa recte interpretanda, necesse erit, certas ponere regulas, secundum quas ea optime dirigi possunt. Id igitur primum respiciendum erit, vt omnia priuilegia saluti publicae bene conueniant. Salus enim populi vti suprema lex est, qua omne ius et commune et singulare regitur, ita et commodo priuatorum, etiamsi magnas opes dignitatemque amplam teneant, semper est anteponenda. Diligenter itaque prouidendum erit, vt id, quod quibusdam commodum videtur, omnibus proficit, ne quibusdam magnum inde commodum, aliis vero maius damnum exoriat. Idcirco id praecipue respiciant, quibus haec priuilegia concedere ius est, vt grata aequalitas quam maxime conseruetur, ne quidam cum aliorum detrimento locupletiores fiant. Quo pertinet *L. 4. C. de emancipat: nec in cuiusquam iniuriam beneficia tribuere, moris est nostri*. Quem in finem saepius constitutum est, vt omnes, quorum interest, prius audiantur, quam priuilegium tribuatur, praesertim ii, qui communione bonorum aut qui vicinitate coniuncti sunt. Plura tamen priuilegia per preces valde sollicitas esse elicita cum magno saepe vicinorum detrimento, recte obseruat *August. a Leyser in meditat. ad pandect. specim. 679*. Hoc quoque obseruandum erit, quando
plura



plura priuilegia concurrunt, eius quidem conditionis, vt vnum cum altero simul consistere nequeat, tunc ex eorum natura iudicandum esse, ex quo maius reipublicae commodum nascatur. Vtilius enim minus vtili anteponere ipsa iubet ratio. Vti vero ad reipublicae salutem omnes subiecti suas vires conferre tenentur, ita quoque priuilegii impetrati commodum reipublicae causa omittere debent. Aliud est, si vnum priuilegium alteri non obest, ita vt vtrumque sine aliorum incommodo exerceatur. Deinde vt interpretatio priuilegii naturae cuiusuis reipublicae sit consentanea, ex magnis causis requiritur. Formae enim rerumpublicarum vt plane sunt diuersae, ita quoque modi easdem administrandi legesque inferiorum conditioni conuenienter ferendi, inter se toto quasi coelo differunt. Quam ob rem, vt nemini fiat iniuria, nullius vero priuilegium vel minuatur nimis vel extendatur, optimum sane erit, eam interpretationem adhibere, quae indoli reipublicae conuenit. Quod vt recte fiat, tota facies reipublicae accurate est tenenda, mores maiorum repetendi, varia iura studiose inter se conferenda, quin etiam terra, aer, coelum, religio, victus, cultus atque ingenium cuiusuis populi aliaque curiose sunt intruenda. Nec parum confert ad veram priuilegii interpretationem, vt rationem, cur concessum est, recte perspiciamus. Alia enim res est, vtrum ex sola gratia, quae diligentiam excitare, artes vero et merita remunerari studet, an certo pretio acquisitum sit; deinde vtrum in certum tempus, an in perpetuum, num vni, an toti genti tributum sit. Similiter quoque, cum plura priuilegia tamquam exemptiones a legibus, quibus tamen vulgo omnes parere debent, considerari possunt, sequitur, vt eiusmodi immunitates probandae ac strictissime interpretandae sint. Cum enim recedant a legibus reipublicae communibus, minime praesumi possunt, sed expresse



propter euidentem vtilitatem indultas esse, probandum erit. *L. 16. D. de Legib. et L. 2. D. de Const. princip.* Quod vero strictissimae sint interpretationis, id a naturali ratione repetendum est, quoniam in republica aequalitas, tamquam optima concordiae tutrix, semper est conseruanda. Exempla suppeditat *L. 2. D. de vacat.* Adde *Io. Balthaf. de Wernher obseruat. forens. P. 5. Obs. 47.* Quum porro ius commune sit regula, secundum quam cines actiones suas instituere debent, aequum omnino erit, eam interpretationem sequi, quae huic regulae maxime congruit. Cauendum itaque sedulo, vt ab eo, quod ius commune praecipit, quam minimum recedamus. Adde *L. 2. C. de legibus.*

Quibus nundinas apud Romanos tuto frequentare liceat.

Vt eo distinctius perspiciatur, quibus tuto nundinas frequentare liceat, optimum erit Romanorum instituta ab vsu nostrorum temporum accurate separare. Secundum iura Romana ex *L. vn. C. de nundinis* omnes, qui lege speciali non prohibebantur, hoc iure gaudebant, et quamuis nobilioribus et honorum luce conspicuis perniciosum vrbibus mercimonium exercere interdictum esset, *L. 3. C. de Commerc. et mercat.* vt inter plebeios et negotiatores facilius esset emendi vendendique commercium: aequae tamen ac plebeii hoc iure fruebantur, quia aliud plane est exercere mercaturam, quae nobilibus parum decora visa est, aliud vero, res necessarias et vtilis secundum mores publicos iuste coemere vel vendere. Quorsum pertinet lex ista a Claudio lata, quam *Liuius L. 21. c. 63.* ita sancitam fuisse refert: *ne quis senator, quique senatoris pater fuisset, maritimam nauem, quae plus quam trecentarum amphorarum esset, haberet. Id satis habitum ad fructus ex agris vectandos, quaestus omnis patribus indecorus visus.* Rustici etiam nundinarum

rum



rum aditu non excludebantur, propterea quod in commodum non solum urbium, sed etiam pagorum rebus commodioribus plerumque destitutorum, eadem indicantur. Nec existimandum, ad ingenuos solos hoc ius pertinuisse, cum non minus ad seruos, qui saepissime institorum officiis fungebantur, illud extensum est. Parui enim referebat secundum *L. 7. §. 1. D. de instit. act.* quis sit institor, masculus an femina, liber an seruus. In *Lege* vero *7. C. de incest. et inutil. nupt.* mulier humilis dicitur ea, quae mercimoniis publice praefuit. Quod si igitur serui negotiationibus praeponi solebant, qui omnia iussu dominorum gerebant, nundinae ab iis non minus ac a liberis hominibus frequentatae sunt. Sed an etiam infamibus idem licuerit, quaeri posset. Quod affirmare non dubitamus, quia infamia bonam quidem existimationem, non tamen facultatem mutua commercia ineundi aufert, uti apparet ex *L. vn. C. de infam.* ubi dicitur, quod curulium et ciuilium munerum vacationem non habeant. Si vero a ciuilibus muneribus non excludebantur, cur mercaturae et nundinarum iuribus destituti fuissent, non video. Porro comoda quaestio hic proponitur, num etiam relegatis vel deportatis nundinas frequentare licuerit. Haec vero optime ex ipsa notione relegationis et deportationis decidi poterit. Deportatus est is, qui in certum locum delatus est, ut in eodem, amissa ciuitate, permaneat. Relegatus vero ex *L. 14. D. de interd. et relegat.* est is, cui prouincia vel Roma, vel eius continentibus perpetuo vel ad tempus interdicitur. De insigni eorum differentia, quantum necesse erit, breuiter dicamus. Deportati iura ciuium amittunt, et iura tantum gentium retinent. *L. 15. D. de interd. relegati* contra nihil nisi solum et coelum patriae mutant. *L. 4. eod. tit.* Deportatis bona auferuntur, non relegatis, nisi, qui in perpetuum relegantur, idque pro parte tantum





expressa. Deportatio denique fit in perpetuum; relegatio saepenumero ad tempus. *L. 18. eod. tit.* Ex quibus apparet, deportatis et relegatis quidem licere commercia ibi, ubi commorantur, exercere, minime vero ad nundinas eius loci, ex quo relegati sunt, tuto redire. *L. 4. D. de poenis.* Exoritur alia quaestio, num scilicet ii, qui maiora delicta commiserant, tuto ad nundinas venire potuerint. Quod plane negandum esse arbitramur, quia reipublicae interest, facinorosos puniri, et quia eiusmodi securitas plurimos ad delinquendum inuitaret. Romani quidem in delictis puniendis fatis fuerunt feueri, rati, reipublicae fore utilius, acerba coercitione occasionem et voluntatem delinquendi adimere, quam amplius indulgendo facinoribus et atrocioribus criminibus fenestram quasi aperire. Audiamus de hac re sententiam *Vlpiani in L. 13. D. de offic. praesid.* ita propositam: *congruit bono et graui praesidi curare, ut pacata atque quieta prouincia sit, quam regit, quod non difficile obtinebit, si sollicito agat, ut malis hominibus prouincia careat, eosque conquirat: nam et sacrilegos, latrones, plagiarios, fures conquirere: et prout quisque deliquerit, in eum animaduertere: receptoresque eorum coercere, sine quibus latro diuarius latere non potest.* Adde *Sam. Stryck. vsun modernum Pandect. L. 5. T. 11. §. 5.* et *Abasuer. Fritschii tract. de re-gali nundinarum iure et priuileg. cap. 7. §. 13.*

Quid Germanis de hac re visum fuerit.

Prisci Germani frugalitatem laudabilem veterumque simplices mores vnice sectantes, commercia haud magni fecerunt. Nondum pestifera luxuria animos virtutum tenacissimos inuaserat, neque turpis habendi cupiditas, quae cum ipsis diuitiis magis crescit, istos viros vexauerat. Cibos adhuc sumebant domesticos et naturales, non vero peregrinos

aut



aut ab ingenioso coquo excogitatos. Nec potum aliunde quam ex frumento patrio petebant. Agri et silvae alimenta, ferae vestimenta praebebant. Hinc maximam vitae partem in venando et militando occupatos fuisse, testatur *Tacitus de moribus German. c. 14. 15.* Interiores pecuniam parum cognoscebant, merciumque vtili permutatione inopiam leuabant. *Idem c. 5.* Sed hi mores mox mutari coeperunt. Primum enim a Romanis aliqua vitae elegantioris scientia ad populos Germanorum finitimos serpsit. Haec postea ab vna natione ad alteram occultis quasi viis peruenit. Iam aurum et argentum aestimare, varias pecuniae formas dignoscere, cultum victumque peregrinum amare coeperunt. Vnde commercii ineundi necessitas confestim subsecuta est. Quam ob rem conuentus publici statim temporibus habiti, certique comites commerciorum causa creati sunt, vti ex *Baluzii Capitular. T. I. p. 425.* luculenter apparet. Plures etiam vrbes hac ratione maximos quaestus facientes, ad maximas opes peruenerunt, quibus adaugendis conseruandisque singulares societates inierunt easque firmissimis vinculis constrinxerunt. Satis enim nota sunt ista foedera, quae vrbes celeberrimae spe mercaturae commodius exercendae coniunxerunt, de quibus consulere iuuabit *Herm. Conringium in d. de urbib. German. §. 98. seqq.* Neque principes commoda, quae mercatura ciuitatibus affert, ignorarunt aut neglexerunt, cum potius passim nundinas indixerint, liberamque eundi redevundique facultatem, interposita fide publica, concesserint. Quibus formulis tunc securitatis causa conceptae fuerint epistolae, variis exemplis nuper monstravit. *V. C. Io. Adam. Schottus in dissertat. quae incrementa et iura mercaturae in Germania continet. §. 6.* vbi simul obseruat, homicidas, proscriptos atque alios hoc securitatis bono nequam frui potuisse. In quo quidem nostri maiores ipsam aequitatem



secuti esse videntur, quae securitatis publicae turbatores eo bono, quod aliis eripuerunt, iustissime priuat. Ita *ius provincial. Saxon. L. 3. art. 23.* cauet, ne quis proscripito hospitium praebet. *Ius vero Lubec. P. 4. t. 17.* haec fancit: *wird einer flüchtig um Missethat willen, also, dass man ihn verfesten soll, der soll zu dreyen Rechts Tagen citiret und vorgeladen werden, will er sich entschuldigen und trauet seinen Rechten, so mag er vorkommen ohne Gleit, wo aber nicht, so wird er zum dritten Geding friedelos geleet.* Est igitur singulare prorsus beneficium, quod Carolus III. proscrip- tis dedisse legitur, vt iis nundinas Francofurtenses tuto frequentare liceat. *Priueleg. Francofurt. p. 170. seqq.* Eos enim, qui homicidia, furta, incendia, adulteria aliaque nefaria crimina commiserunt, prehendi inque vincula duci, iubent patriae sanctiones. Relegatos vero reuertii, vt ipsi relegationi, ita seueritati Germanicae maxime repugnat. Ea enim de causa exterminati sunt, ne redeant, vt ideo doctores eiusmodi homines iussa magistratus contem- nentes, merito acerbius puniendos esse existiment. Con- feras *animaduersiones ad ordinat. criminal. Caroli V. in edit. Kressiana p. 289. seqq.* Huc quoque pertinent omnes vaga- bundi, aleatores alique inertiae dediti, qui otio ad alios cor- rumpendos turpiter abutuntur, in quos tamquam pessimos ne- bulones seuerae Germanorum leges grauissime inuehuntur. Ita fere omnes sentiunt, quarum permultas diligenter recenset *Io. Heumannus initiis iur. polit. German. §. 160.* Capitali quoque odio persequuntur zingaros, quibus non solum vsu commercii, sed et ipsa pace publica interdiciunt. *Reformat. Polit. imperii de ao. 1548. et 1577. tit. 28.* quam omnes status imperii et lubenter receperunt, et nouis constitutionibus con- firmarunt. Esti igitur nundinis sua constare debet libertas, omnibusque datur ad eas liber aditus, salus tamen publica
num-



numquam permittet, vt latronibus, ficariis aliisque tutum aperiatur asylum. Neque adiumento securitatis publicae exteris ad nos accedentibus facultas improbas exercendi artes, occasio ludis vetitis alios decipiendi et quaeftum turpem faciendi, aut alios impune corrumpendi venia dabitur. Eiusmodi enim licentia, vti ipsi honestati vtilitatique publicae prorsus est aduersa, ita legum ciuiliū consiliis simul repugnat, quae sceleribus patrocina praestare nec debent, nec volunt.

Argumenta contraria expenduntur.

Sed non deerunt, quibus haec iusto seueriora videbuntur. Habent enim nundinae multos patronos strenuosque defensores. Hi pleni iracundia, valeat, inquit, fructuosa, quam profiteremini, doctrina! Quas enim nundinas habebitis? Putatisne, vos bonos, pios, et perfectos homines ex roto terrarum orbe esse collecturos, aequae hominibus malis sapienter segregaturos? Quo vero consilio nundinas celebrari existimatis? Num virtutis probandae honestatisque exercendae gratia? Pulchra admodum philosophia! Has igitur obiurationes reprimere debemus. Haud vnquam nobis persuasimus, virtutis causa hosce conuentus institui, aut ab hominibus tantum honestis frequentari, quae quidem commenta ipse vitae vsus refellit. Concedimus facile, eosdem ad comoda ciuitatis adaugenda spectare maxime, sed non videmus, cur in iis peccandi licentia vigere debeat. Fauent leges commercii, sed non indulgent ideo sceleribus. Securitatem spondent bonis, qui suum cuique tribuunt, neutiquam vero malis, qui tam sibi quam aliis nocent. Neque eo procedimus, vt omnes improbos a nundinis prohibeamus, cum id nulla plane ratione fieri poterit. Discrimen tamen idque necessarium inter eos obseruandum erit, cum alii ipsa publi-



ca securitate destituantur, alii contra eadem fruuntur. Hos quidem admittimus, ea tamen conditione, vt consiliis nostris respondeant, neque legum immemores, impune se peccaturos credant. At nouum obiicitur argumentum, quod multis videtur vim habere praecipuam. Prouocant scilicet aduersarii ad ipsa imperatorum priuilegia, tam Romana, quam Germanica, iisque tantum tribuunt, vt omnes, qui in nundinis adsunt, et emtores et venditores ab omni vi defensos esse, statuunt. Primo iactant celebrem valde legem *C. de nund. et mercat.* qua tamen pessime abutuntur, id quod mox fusius sumus probaturi. Deinde non est, quod Maximiliani I. auxilium implorent, qui nihil nisi bonum iustumque constituit. Quod vt quiuis intelligere queat, eius verba ex priuilegio nundinis Lipsiensibus concessio, huc adseribamus: *setzen, ordnen und wollen Wir, dasz alle und iegliche Kauffleute, Käuffer, Verkäuffer und andere Personen, aus was Königreichen, Fürstenthümern, Landen, Städten und Dörffern, oder was Würden, Standes oder Wesens die seyn, die Zeit, so sie die obbestimmte Jahrmärckte oder Niederlage besuchen, und mit ihren Haab und Gütern mit zu und abziehen, Unser und Unserer Nachkommen am Reich Römischen Kayser und König und des H. Reichs frey starcks Sicherheit und Gebietz haben solle, dasz auch die Strassen durch alle Lande Unsers Röm. Reichs zu und von angezeigten Märckten und Niederlag durch keinerley Sachen, wie sich die begeben möchte, nicht versperrret, dergleichen die Waar und Güter, so zu und von bestimmten Märckten und Niederlag geführt und getrieben wird, nicht soll aufgehalten, verhindert und rechtlich arrestiret werden, und ob iemand wäre, der oder die wären dieselben Personen, der ihr Haab und Güter insgemein und sonderheit darüber mit nehme, That, Gefängnis, oder in andere Wege gewaltiglich angriffe und beschädigte, die Strassen sperren,*



sperrern, oder die Güter wie vorherührt aufhalten oder arrestiren wolte, in was Weise und Gestalt solches geschehe, das den vorgemeldeten Fahrmärckten und Niederlagen zu Abbruch und Schmälerung reichen und kommen möchte, dieselben sollen mit der in Unser und des Reichs Acht und Ober Acht, und andere Poenen, Straffen und Bußen in gemeiner Unserer Land Frieden begriffen, gefallen seyn. Egregia sunt, quae hic salutis Germanicae stator maximus vtiliter sanxit, ipsi hoc confitemur, sed a commodis publicis ne minimum quidem aliena. Omnes enim cuiusuis terrae et conditionis homines, liberam ad nundinas proficiscendi facultatem consequi, eo quidem pacto, ne quis eos detineat, aut bona inuadat, commercii maxime interest. Pertinet igitur hoc ius ad omnes sine discrimine patriae, religionis, dignitatis et status, vt legitimam emendi vendendique habeant facultatem, non vero, vt sanctissimas principum leges violare, innocentibus facere iniuriam, aliosque seducere liceat. Quae vero erit securitas, si vrbs latronibus plena est, si in omnibus vicis perfidi, fallaces et feditiosi commorantur, aut si eos, quos propter perpetrata crimina expulimus, amice tolerabimus? Quodsi omnia priuilegia vnice publicis commodis metienda sint, vt supra fuit traditum, nec proscriptis aut homicidis erit in nundinis locus, nec deprauati homines auctoritate iuris ad perniciem aliorum abutentur. Sed aliud subsidium nostri aduersarii ostentant, quo se putant aduersus omnes impetus esse securos, *legem* scilicet istam *codicis*, quae a nobis omnino diligentius erit excutienda. Itaque mox istud fortiter aggrediemur, modo aliqua ad institutum pertinentia prius attulerimus. Cum enim iter in nundinas fecimus, nosque peregrinis mercatoribus comites quasi adiunximus, videamus prius, quas merces eo transferre liceat.



Facultas importandarum mercium quomodo sit restricta.

Omnes merces videntur commode in tria genera posse distribui. Sunt enim nonnullae ad ipsam vitae sustentationem necessariae. Aliae nostra commoda augent, ut vitam agamus beatiorem; nonnullae vero solis voluptatibus inferuiunt. Qui necessarias atque utiles afferunt, eorum copiosas inuentiones vulgo plenis laudibus praedicare solent. Voluptuariæ etsi a multis cupide appetuntur, non tamen semper bonis principibus probantur. Etenim cauenda est pernicioſa luxuria, quæ voluptuariis mercibus alitur, magisque corroboratur. Hac vero in re rationes cuiusvis reipublicæ ponderandæ sunt, cum alibi multa improbantur, quæ hic maxime aestimantur. Hinc ea, quibus maxime indigemus, in alienas terras inferre, iam antiquissimis legibus vetitum erat. Ita Athenienses ficus, ligna et picem alio ferre non sinebant, uti constat ex *legibus Atticis a Samuel. Petito* collectis *L. 5. 2. 5, 2 et 8.* Multae quoque res commercio plane exemptae sunt, uti apud Romanos liber homo, res sacra, religiosa, publica. *L. 6. et L. 51. de contrab. emi.* litigiosa. *L. vlt. C. de litigios.* et aliae, quæ venditoris potestati non fuerunt obnoxiae. Prohibitum erat apud eosdem vendere purpuram, soli principi reseruatam, nec fericum a gentibus barbaris emere licebat *L. 1. 2. C. quæ res venire non possunt*, uti contra vinum, oleum, variaque arma ad eos exportare illicitum habebatur, *L. 1. et 2. C. quæ res exportari non debeant*, ne eorum cupiditatem pugnandi incenderent, vel fortitudinem armarent. Quin ne aurum quidem pro mercibus iis persolvere, concessum erat. *L. 2. C. de commerc. et mercator.* Longobardi sanxerunt, ne quis bruneas, hoc est loricas extra regnum venderet. *L. Longobard. L. 3. tit. 17.* Vide quoque *Capitular. reg. Franc. L. 3. c. 6.* Nec recentiores defunt leges, quæ certas merces exportare vel importare prohibent.



bent. *Io. Christ. Lunig. R. A. P. i. p. 406. seqq.* Nostrum non est, magnam hic legum copiam congerere, cum quaeuis terra suis vtatur moribus, iisdemque valde diuersis, prudentia vero suadeat, vt eas res, quarum inopia laboramus, aut quarum praeparandarum industria nostros opifices vtilius occupabit, ex nostris terris exire haud finamus. Videas *Io. Iac. Mascou. d. de foeder. commerc. §. 4.* Exempli tamen loco nominamus *resolut. grauam. elector. Saxon. de ao. 1661, vbi §. 106.* cauetur, ne lana ad extraneos exportetur. Adde *Illustr. Georg. Henr. Ayrer. S. R. I. princeps politiam circa commercia ciuium suorum rite adornans, sect. 2. §. 14. seqq.*

Interpretatio L. vn. C. de nundin. et mercat.

Sed iam obuiam eundum erit iis, qui sibi omnia audacter arrogat, seque legis firmissimae praesidio munitos esse contendunt. Est scilicet *lex Codicis de nundinis et mercatoribus* magno nundinis adiumento, cui tamen iniquis interpretationibus fraudem faciunt magnam. Quam ob rem eius sensum ingenue declaremus. *Lex* ita se habet: *Qui exercendorum mercatum aut nundinarum licentiam vel veterum indulto, vel nostra auctoritate meruerunt: ita beneficio rescripti potiantur, vt nullum in mercatibus atque nundinis ex negotiatorum mercibus conueniant, vel in venaliis aut locorum temporali quaestu et commodo priuata exactione sectentur, vel sub praetextu priuati debiti aliquam ibidem concurrentibus molestiam possint inferre.* Imperatores Valens et Valentinianus, spe lucri maioris in posterum capiendi adducti, (Valentinianum enim odiosa auaritia suis fuisse molestum, *Zosimus hist. L. 4. c. 16.* tradit) nundinarum securitatem firmiter stabilire laborarunt. Eo consilio ad virum spectatae dignitatis Probum praefectum praetorio, cuius muneris splendor e *titulo C. de praefect. praetor. L. 1.* satis elucet, sanctionem rite promulgant.



mulgandam emittunt. Qua in re praeclara maiorum instituta imitati fuisse videntur. Laudatur Nero ob abolitas exactiones, quadragesimam et quinquagesimam obque tributa remissa negotiatoribus. *Tacitus Annal. L. 13. c. 51.* De studio Alexandri iuuandi commercia legendus est in *eius vita Spartianus c. 22.* Iam enim Romani id perspexerant, quod iis olim incredibile visum, commerciis etiam in republica militari commode locum relinqui, nec ideo ciues effeminari. Hinc negotiatoribus et nauiculariis, qui vrbis annonae prospiciebant, id praemium fuit concessum, vt a muneribus publicis essent immunes. *L. 5. §. 3. D. de iur. immunit. et L. 9. §. 1. D. de vacat. et excusat. muner.* Nostri vero Imperatores hic ad antiqua iura respiciunt, eaque sancte seruanda censent. Ius enim mercatus habendi publicos, vti a principe est impetrandum, ita a senatu quoque Romano concedi poterat, praesertim temporibus reipublicae liberae. *Plinius L. 5. ep. 4. L. 1. D. de nundin.* Quibus igitur facultas habendorum mercatuuum auctoritate publica erat data, his eam quidem non adimunt Imperatores, certam tamen legem praescribunt nundinis valde profuturam. Edicunt enim, ne quis mercatores aut alios, qui in nundinis siue maioribus siue minoribus versantur, debiti exigendi gratia conueniat. *Mercatus* est locus vel forum rebus emendis vendendisque destinatum, cum nundinae maius et celebrius quid expriment. *Petr. Tholosanus syntagm. iur. L. 25. c. 3.* Sub *negotiatoribus* hic omnes cuiuscunque generis mercatores, qui vel merces emunt, vel vendunt, easque vel ad nos afferunt, vel a nobis auferunt, intelligimus. Pertinet igitur tam ad domesticos, quam ad peregrinos, qui in eo pari libertate vtuntur, ne quis eos actione ciuili pulsare possit. *Venalitii* sunt serui venales cum venalitariis hoc est mangonibus non confundendi *L. 207. D. de V. S. L. 65. D. de aedilit. edict.* *Cuiacius in commentar. ad hunc locum*



locum testatur, in libris scriptis legi venalibus, quod idem erit. *Temporalis quaestus et commodum* continet omne lucrum, quod in nundinis percipitur mercium vtili emtione, venditione aut permutatione, per paruum tempus honeste comparatum. Vetatur igitur, ne quid ex mercibus, feruis aut lucro eorum, qui nundinas frequentant, auferatur. Ad dicitur tamen certa restrictio, qua eiusmodi libertas est finienda. Nemo quidem conueniendus est, propter debita tamen priuata, non vero publica, verbi causa propter tributa aut multas. Nam causae publicae omni tempore expediuntur, praesertim si res moram non ferat. Quo pertinet. *L. 3. D. de fer. et dilation.* his verbis concepta: *item in eum, qui quid nundinarum nomine aduersus communem vtilitatem acceperit, omni tempore ius dicitur.* *Concurrentes* nobis omnes videntur, qui nundinis interfunt, siue mercaturam exercent, siue aliam vitam agunt. Nullam enim videmus causam, cur tam angustiis finibus hanc libertatem circumscribamus, vt ad solos venditores adstringamus, quod multos fecisse saepe mirati sumus, cum tamen nundinae non solis inseruiant mercatoribus, sed potius tanto celebrentur fructuosius, quanto plura omnium hominum genera in iisdem conueniunt.

Mercator peregrinus soluendis vestigalibus obnoxius.

Cum igitur sensum legis proposuimus, non erit alienum, leuitatem eorum notare, qui contortis plane ratiunculis nonnulla inde elicere cupiunt priuilegia. Immunes enim esse mercatores peregrinos a soluendis vestigalibus, inuitis plane legibus et ipsa aequitate repugnante, asserunt. Sed hanc omni fundamento destitutam sententiam recipere valde dubitauimus, quam potius refutare summo studio contendemus. *Lege itaque vn. §. antec.* explicata vtuntur, vel abutuntur





potius, qui mercatorem peregrinum a vectigalium solutione liberum esse dicunt, hac addita ratione, quoniam ad priuilegium nundinarum haec immunitas maxime pertineret. Sed hi mercatorum defensores bene perpendere debuissent, quod in ista lege nulla plane mentio fiat immunitatis a vectigalibus, cum id tantum constitutum sit, ne quis propter debitum priuatum personas et bona mercantium constringat, omiſſa plane vectigalium immunitate, quae tamen ab iis, qui nundinas frequentant, summo iure exigi possunt. Quum denique vectigalia sint certae praestationes plerumque propter securitatem publicam, vsusue viae, pontis aut fluminis soluendae: nonne aequissimum est, vt ii, in quorum fauorem haec res potissimum magnis saepe impensis et exstruantur, et conseruantur, ad earum conseruationem pro lucri et commodi ex eo sperandi magnitudine, aliquid contribuant? Multum igitur abest, vt haec vectigalium exactio dura sit et iniqua, vt potius aequitati quam maxime congruat, modicum vectigal ab iis petere, qui magnum emolumentum in terris alienis sibi comparant. At qui contrarium contendunt, legem arcessunt aliquam iam supra excitatam, quae iis patrociniari videtur, *L. 3. §. 2. D. de ser. et dilat.* vbi *Vlpianus* dicit: *in eum, qui quid nundinarum nomine aduersus communem utilitatem acceperit, omni tempore ius dicitur.* Haec vero lex diuersam plane speciem proponit, quando nimirum quis nomine nundinarum accepit, quae damnum reipublicae afferre possunt, vti si quis accepit pecuniam, quo annonam reddat cariorem, quod quidem in republica Romana quam seuerissime erat prohibitum, vt satis manifeste apparet *ex L. 2. D. ad leg. Jul. de annon.* Pudeat igitur aduersarios eius audaciae, quae impudenter valde legis alias admodum bonae sensum distorquet, quin plane subuertit. Nihil quoque eos iuuat immunitas veteranis concessa. Verba enim *L. 1. C. de veteran.* quam



quam in consilium adhibent, haec sunt: *Constantinus Augustus dixit: Iam nunc magnificentia mea omnibus veteranis id esse concessum perspicuum sit, ne quis eorum in ullo munere civili, nec in operibus publicis conueniatur, nec ulla collatione, nec a magistratibus, nec vectigalibus, in quibuscunque nundinis interfuerint, ullam ob venditionem proponendam dare debebunt.* Sed id quod veteranis tributum est singulare plane priuilegium, ob vulnera et pericula patriae causa perpessa, neutiquam ad alios ne dum peregrinos porrigendum est, quia id beneficium certo tantum hominum ordini virtutis ornandae gratia, minime, vero aliis in reipublicae damnum concessum est. Hanc vero sententiam confirmabimus perspicuis certe legibus, quae ab oneribus patrimonialibus ne milites quidem liberant. Ita in *L. 11. D. de vacat.* dicitur: *sunt munera, quae rei proprie cohaerent, de quibus neque liberi, neque aetas, neque merita militiae nec ullum aliud priuilegium iure tribuit excusationem et hoc L. 18. §. 24. D. de munerib. et honorib.* confirmatur. Porro frustra prouocant ad *L. 5. §. 3. D. de iur. immunit.* vbi *Callistratus* haec habet: *negotiatores qui annonam urbis adiuuant, item nauicularii, qui annonae urbis seruiunt, immunitatem a muneribus publicis consequuntur, quamdiu in eiusmodi actu sunt.* Est enim nimia liberalitas ea, quae hic certis negotiatoribus impertiuntur, communicare cum omnibus, cum tamen omne priuilegium sensum habeat restrictum. Sed alia lex, quae nostrae opinioni fauet, extat in *C. de vectig. et commis. L. 6.* quae digna erit, vt tota subiiciatur. Verba haec sunt: *omnium rerum ac personarum, quae priuatam degunt vitam, in publicis functionibus aequa debet esse inspectio. Hoc ideo dicimus, quia nonnulli priuatorum elicitas suffragio proferunt sanctiones, quibus vectigalia vel cetera huiusmodi, quae inferri fisco moris est, sibi adferant esse concessa. Si quis*



quis ergo priuatorum huiusmodi rescriptione nitatur, cassa eadem sit. Vectigalium enim non parua functio est, quae debet ab omnibus, qui negotiationis seu transferendarum mercium habent curam, aequa ratione dependi: exceptis nauiculariis, cum sibi gerere rem probabuntur. Cui addenda erit *L. 1. C. de commerc.* vbi vectigalium solutio ab omnibus, qui negotiationis causa veniunt, atque emolumenta ex negotiationibus captant, merito exigitur. Leges denique commercii et negotiationis causa in Germania latas quod attinet, tantum abest, ut hanc immunitatem peregrinis mercatoribus concesserint, ut potius vectigalium exactionem, mutato reipublicae statu, regalibus cuiuscunque principis adferiperint. Ita legimus in *Capitular. reg. Franc. L. 3. c. 12: placet nobis, ut antiqua et iusta tholonea a negotiatoribus exigantur, tam de pontibus, quam de nauigiis seu mercatis.* Non desunt quidem exempla immunitatis a vectigalibus antiquitus liberaliter tributae, ut ex *formul. Marculfi 11. et 12. ex edit. Lindenbrog.* cernitur, sed ea rarius sunt obuia nonnullorumque propria. In diplomatibus aliisque monumentis aetatis mediae saepenumero nundinarum securitas stabilitur, vectigalia vero fuisse remissa, rarius legitur. Noua tantum et nimis acerba vectigalia, non vero visitata et aequa improbantur. *Capitulat. Francisci I. Imperatoris art. 8. §. 1. seqq.* Vsum denique singularum prouinciarum consulere, hic maxime expedit. Adde *Fritschii tractat. saepius laudatum c. 8.* in primis vero *Perill. Frid. Abraham de Hopffgarten exercitat. de iur. vectigal. in sacro Imper. Rom.*

Possitne quis beneficio l. vn. C. de nundinis renunciare.

Ne vero sibi persuadeant, qui priuilegia nundinis concessa iusto latius extendere solent, tantam horum priuilegiorum esse auctoritatem, ut nullo modo neque mutari neque



que impediri possint, iam quaestionem maxime necessariam proposituri sumus, num quis huic nundinarum priuilegio renunciare possit. Nos vero id affirmare non dubitamus, freti auxilio *l. 41. D. de minoribus: unicuique licet contemnere haec, quae pro se introducta sunt.* Id quod magis confirmatur per *l. 32. D. §. 4. ad Sc. Vellei.* vbi feminae senatus consulto Velleiano valide renunciare permissum est. In *L. 29. C. de pact.* renunciandi facultas ab antiqui iuris regula reperitur, vt ideo ii fallantur, qui a iure demum nouo, non vero antiquo eandem deducunt. Licet in vniuerso iure cuius beneficio pro se introducto renunciare, nisi lex quaedam ex causis singularibus aliud iubeat. *L. 2. D. de pactis dotal.* exemplo hic erit luculento. At multi dicunt, hanc renunciationem vtilitati et commodo publico contrariam esse, propterea quod securitas publica turbaretur, si quis in ipsis nundinis in carcerem deduceretur, vel custodia premeretur. Mihi vero contraria sententia ex hac ratione placet, quoniam eo, quod renunciantis securitas laeditur, aliorum libertati nec damnum nec iniuria inferitur. Ex ratione denique, quae occasionem dedit huic *l. vn. C.* quae nulla certe alia est, quam fauor commercii, luculenter apparet, huius beneficii renunciationem esse validam. Nemo enim inuitus cogi potest, vt necessario sua commoda curet, sibi que beneficia obtrudi patiatur. Quod tamen faciunt, qui debitori renunciationem istius priuilegii interdiciunt. Aliae denique rationes concurrere possunt, quae debitori renunciationem necessariam et vtilissimam efficiunt, verbi causa, si creditor pecuniam mutuo dare recuset, nisi renunciatio priuilegii praecedat, debitoris contra multum intersit, pecuniam accipere, tunc enim debitorem a renunciatione arcere manifesta esset iniuria *Fritsch. in tract. allat. c. 7. §. II.*



Mercator de fuga suspectus possitne detineri?

Minime vero negandum est, ex *L. vn. C. de nundinis* non obscure colligi posse, debitores priuatos, nundinis durantibus, neque carcere neque arresto ad soluendum debitum coerceri posse. Concedimus quoque, Maximilianum I. et Carolum V. in diplomate, quo nundinae Lipsienses concessae et confirmatae sunt, plenam securitatem mercantibus promississe et spondidisse, id quod multos commouit, ut mercatores etiam de fuga suspectos ab arresto liberos et exemptos pronuntiarent. Confer *Ludou. Gunther. Martini commentar. in Io. Georgii I. ordinat. process. iudic. T. 51. §. 9. 11.* Nec desunt priuilegia perspicuis verbis perscripta, quale Carolus III. Francofurtensibus nundinis largitus est, ne quis in nundinis debitores in ius vocare aut uinctos tradere possit. Vide eam, quam *Io. Beniam. Lebnemann, praeside V. C. Traugott. Thomasio, proposuit, diss. nundinar. Moeno Francofurt. iura et priuilegia continentem §. 14.* Et *Constit. El. Sax. XXX. P. 1.* non parum ad hanc sententiam stabiliendam attulit, cuius uerba haec sunt: *Wir wollen aber sonderlich, das in allen Fällen innerhalb der öffentlichen Märckte, der Handels und Werbung halber, die Freyheit gehalten, kein Arrest statt haben, auch bürgerlicher Sachen und Obligation wegen niemand angehalten werden soll.* Quod pariter sancitum est in *iure Hamburg. P. I. tit. 17. §. 16.* cuius sententia uidetur omnino lectu digna, hoc modo expressa: *In den freyen Iabrmärckten Viti und Feliciani, soll kein Arrest verstattet, auch, bürgerlicher Sachen und Obligationen wegen, niemandes angehalten werden. Hette aber jemand an einem andern Orte contrabirt und sich verpflichtet, allbir in webrenden Markte zu bezahlen, oder auch zur Zeit des Markts allbir contrabirt und zu bezahlen sich versprochen: So mag der, oder dieselben, oder ihre Güter, so lange, bis sie gewisse Versicherung gethan,*



iban, allhier arrestiret werden. Multi denique summae doctrinae viri fuerunt, qui de fuga suspectorum mercatorum defensionem suscipere multaque in eorum fauorem proferre allaborarunt. Ex quibus nominamus pragmaticorum in his terris facile principem *Benedict. Carpzouium P. I. const. 30. def. 25. Io. Heur. de Berger in oeconom. iur. L. I. t. 2. n. 2. et Luder. Mencken. in system. iur. ciuil. secundum pandect. L. 50. tit. II. §. 4.* Quum vero sententiae alicui non nisi rationibus contrariis bene consideratis, accedere fas est, nostrum quoque erit, rationes addere, cur contrariam sententiam tueamur. Publicae nempe vtilitati magis conuenire existimamus, mercatores, qui de fuga suspecti sunt, arresto detinere, quam eo omisso, occasionem impune delinquendi iis suppeditare, et hac libertate ad defraudandos et spoliandos creditores, quasi inuitare. Haec nostra sententia non parum quoque confirmatur multis legibus, quae maximo odio persequuntur debitores, qui illicitis machinationibus creditores circumueniunt. Inter quas primum locum tenet *L. 6. D. quae in fraudem creditor.* Vnde facile erit ad intelligendum, quid de iis mercatoribus, qui luxuria, ludis vetitis aliisque improbis rationibus patrimonium ita decoxerunt, vt foro cedere cogantur, existimandum sit. Hos enim omni misericordia indignos, leges bonae prehendi, in vincula duci, bonaque existimatione priuari iubent. *Reform. polit. 1548. T. 22. §. 1. Mandat. Saxon. Elect. de ao. 1724. aduersus bankruptor. §. 1. seqq. Georg. Beyer in delineatione iur. Germ. L. 1. cap. 14. §. 10.* At dicunt, hanc detentionem repugnare priuilegio nundinarum, quod securitatem mercantium in primis desiderat. Sed non est, quod metuant, quia hoc priuilegium honesta quidem lucra capientibus, neutiquam vero iis, qui fraudes improbas exercendo locupletes fieri cupiunt, patrocinaur. Nec ex leui suspicione debitoribus manum in-



iicere licebit, cum omnino creditorum sit, veritatem debiti aequae ac causae iustae suspicionis certis argumentis confirmare, iudicis vero, re iuste cognita, decernere. Nemo denique queri potest, iniuriam sibi hac conclusione fieri, cum e contrario creditores, qui nec fugitivos nec eorum bona custodire possunt, magnis incommodis afficiantur. *Nou. 52. c. 1.* in quo aduersarii fundamentum opinionis contrariae inaedificare volunt, eos nihil iuuat, cum ibi pignorationes, quae vnum pro altero arripiunt, in vniuersum prohibeantur. Nec nos primum hanc sententiam amplectimur, cum multi fuerunt, qui eandem aequitatis causa alteri longe praeferre non dubitarunt. *Dav. Meuius de arrest. c. 11. Io. Schilterus in exercitat. ad pandect. 7. §. 30. et Illustr. Ayrer. in. d. excit. sect. 2. §. 12.* quos prae aliis hic consuluisse iuuabit.

Monopolia in nudinis cessant.

Permulti, iidemque in commerciorum scientia versatissimi viri sapienter statuerunt, nulla re magis turbari commercia, aut liberum emendi vendendique negotium impediri, quam damnosis monopolis, cum vnus vel plures commercium alias commune sibi solis vindicant. Sic enim pauci cum maximo aliorum, quin ipsius reipublicae detrimento diuitias anxie congerunt et inutiliter coaceruant, cum tamen quam maxime intersit, vt pecunia ab vno ad alium eat celeriter, neutiquam vero cistis tamquam duro carcere includatur. Mercandi porro libertas, qua oblectatur maxime vniuersa ciuitas, hisce monopolis si non plane tollitur, admodum tamen impeditur. Nec minus industria multorum, quam alias artibus et opificiis sollerter colendis impenderent, valde diminuitur. Occasiones denique lucri faciendi vitaeque honestis rationibus tolerandae multis eripiuntur. De eorum iniustitia data opera egit *Fritschius de monopolis c. 5.* Praecipuum



puum vero legislatorum officium in eo consistere, vt commercii libertatem tueantur, omnium optime probauit vir splendidissimis meritis ac praestantissimis virtutibus vere *Illustris Christ. Gottb. Gutschmid in diss. qua mercaturae legum ferendarum auxilio iuuandae ratio salutaris ostenditur §. 3. seqq.* Non mirandum itaque, quod Imperator Zeno legislator profecto longe prudentissimus, in *L. vn. C. de monopol.* praeclare haec constituit: *Iubemus, ne quis cuiuscunque vestis vel piscis vel pectinum forte aut ecbini, vel cuiuslibet alterius ad victum vel ad quemcunque usum pertinentis speciei, vel cuiuslibet materiae pro sua auctoritate vel sacro iam elicitio aut in posterum eliciendo rescripto, aut pragmatica sanctione, vel sacra nostrae pietatis admonitione, monopolium audeat exercere: neue quis illicitis habitis conuentionibus coniuuret aut paciscatur, vt species diuersorum corporum negotiationis non minoris, quam inter se statuerint, venundentur.* Monopolium vero non solum is exercet, qui mercium quarundam venditionem sibi soli vindicat, sed etiam, qui solus merces coemit aliisque quasi praeripit, vt maiori cum lucro easdem diuendere possit, ex quo infinita vniuersae reipublicae incommoda oriuntur. Nec leges imperii in hac re aliter sentiunt, cum in *Recessu imper. de anno 1512. §. 16. de anno 1524. §. 27. de anno 1530. §. 135. et in Reformat. politic. de anno 1548. tit. 18. §. 2.* non tantum confiscatio bonorum dicitur monopolia exercentibus, sed etiam magistratus, qui coercionem eius, qui monopolium exercet, omisit, centum marcarum auri puri poena irrogatur. *Iure Saxonico electorali, cuius praestantiam exteri omnes agnoscunt, poena amissionis mercium et viginti aureorum statuta est auf sebüdlichen Vor- und Aufkauff. Resolut. grauam de ao. 1661. tit. Justitien Sachen grauam. 74.* Cauendum itaque quam maxime, ne quis in eum errorem incidat, hanc monopolii exercitationem priuilegiis



uilegiis nundinarum esse comprehensam, ideoque nundinarum tempore earum prohibitionem prorsus cessare. Priuilegia enim nundinarum, in quantum extendi possunt, cum in *§. vbi l. vn. C. a nobis explicata est*, clarius demonstrauiamus, tum praeceptis suo loco datis ostendimus. Aneas quaeso *Leyseri spec. supra excitat. §. 8.*

Miscella.

Delibemus adhuc quaedam ex variis argumentis decerpta. Quo tempore singulae obeantur nundinae, id optime ex calendariis addiscitur. Sed an securitas nundinarum propria tam late pateat, ut etiam ad loca, per quae merces in nundinas futuras transuehantur, pertineat, non temere quaeritur, praesertim cum de hac re non omnes vnum idemque sentiant. Nos vero hanc tutelam tam personis quam rebus omnino praestandam esse censemus, ut qui per vrbes et pagos transeunt ad nundinas profecturi, aduersus omnem vim tuti sint, nisi grauius deliquerint, aut iustam suspicionem sibi contraxerint. Diebus sacris Deo pie colendo destinatis, ab omni negotiatione abstinendum, ut ipsa religio omnesque fere leges praecipiant, ita prae ceteris docte non minus ac pie demonstrauit *Fritschius in tractat. excitat. c. 5. §. 6.* Quod porro beneficium libertatis, quod mercatores praestat securos, ad eos dies adstrictum sit, quibus ipsae adhuc vigent nundinae, quibus hodie et initium et finem rite indicit campanae sonitus, id et natura priuilegii, et vsus quotidianus vbiuis docet. Hoc enim signo in exitu dato, omnia iura redduntur creditoribus, quibus tunc obstrictos debitores ex qualicunque causa conuenire permillum est. De iure stapulae tacere, quam pauca dicere maluimus, cum illud ab *Illustr. Iac. Henr. Bornio* tanta lectissimae eruditionis copia expositum sit, ut nemo quid amplius desideret. Solent quidem multi suis libellis



libellis saepius res non necessarias immiscere, quod quidem etiam huius argumenti interpretes fecisse intelleximus, sed satius semper erit in via recta permanere, quam ad itinera plane deuia delabi cursuque incerto vagari. Nemo igitur nos reprehendet, quod nihil de diuersis mercatorum ordinibus, de variis mercium venalium generibus, de nundinarum feriis, aut de modo easdem finiendi attulimus. Quarum rerum expositiones partim iam datae sunt, partim vero aliis lubenter admodum relinquimus, sperantes fore, vt lectores haec pauca adspexisse haud poeniteat.



V I R O
DOCTISSIMO ATQVE HVMANISSIMO
GOTTFR. LEBRECHT. SERNAVIO

S. P. D.

GEORG. STEPH. WIESAND.

❖ ❖ ❖
❖ *Q*uod Tu, eruditissime Sernavi, me docti, quod inis, certaminis socium adscineris, id mihi variis ex causis debet esse longe gratissimum. Siue enim egregias animi ingenique Tui dotes considero, siue operam recitationibus meis constanter nauatam recorder, certas reperio rationes, cur Tibi specimen luculentae doctrinae publice edituro, lubenter admodum adesse velim. Magnis omnino excellis virtutibus, quas optimus quisque et appetit, et praedicat, cum Deum caste colas, Musas fideliter ames, liberalem vero elegantiam in dictis factisque Tuis exprimas. Quarum rerum laudes nunc prosequerer latius, nisi easdem is libellus, quem multo studio elaboratum iam propugnare suscipis, satis clare illustraret. Argumentum enim difficile variisque nodis implicitum ita tractas, ut rebus obscuris lucem, dubiis fidem, incertis auctoritatem afferas. Placet mihi in primis decora valde modestia, qua aliorum opiniones diiudicas et tamquam humanus arbiter docte decidis. Facile igitur prospicio fore, ut Tuus labor amicis iudiciis comprobetur, quibus utilis industria excitatur, honesta vero ambitio ad quacuis praecleara incenditur. Ego vero hunc honorem Tibi ex animo gratulor eundemque ad me quoque pertinere arbitror. Ut enim agricolae vehementer laetantur, quando primos fructus ex arbore, quam spe certa seuerunt, eosdemque dulces et bonos decerpunt, ita ego quoque mira voluptate afficior, si quis percepta a me variarum doctrinarum semina ita alit, ut laetos vberesque fructus opportuno tempore in utilitatem publicam proferat. Opto ex animo, ut Deus optimus virtutes Tuas iucundissimis praemiis exornet, atque omnia Tibi prospera fortunataque esse iubeat. Ego vero uti meam amicitiam Tibi in perpetuum spondeo, ita nihil magis oro, quam ut eodem, quo me huc usque profecutus es amore, me in posterum oblectare pergas. Ita vale. Dedi Lipsiae die XVIII. Maii A. S. R. c1o 1o CC LXIIII.







Jg 5987

ULB Halle 3
002 806 886




54

Recht 17,8,00 ✓

VOM







DE
RATIONE INTERPRETANDI
PRIVILEGIA NYNDINARVM
SOLLEMNIUM
DISPVATIO

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
PRAESIDE
GEORG. STEPH. WIESANDIO

PHILOSOPH. ET IVRISPRVD. DOCTOR. SVPREM.
CVR. LIPS. ADVOCAT. SOCIETAT. LITTER.
DVISBVRG. ET IENENS. LATIN. SODAL.

DIE XXIII. MAII A. S. R. CIOCCCLXIII.

H. L. Q. S.

A DISSESIONIBVS VINDICABIT

AVCTOR

GOTTFR. LEBRECHT. SERNAV

BRENA - SAXO.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA.